Universitätsbibliothek Paderborn

Benedicti Ariæ Montani Hispalensis Poemata

In Qvatvor Tomos Distincta

In quo Dauidis Regis ac Prophetæ, aliorumque sacrorum Vatum Psalmi; ex Hebraica veritate in Latinum carmen obseruantissimè conuersi

Arias Montano, Benito

Antverpiæ, 1589

Psalmvs CIII. Benedic anima mea Domino.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44993

Visual Library

23 Cùm regna & populi conuenient ſimul,
IAM cùmque piis muneribus colent.
24 Heu vímque ille meam preſſerat in via, &
Soles reddiderat breues.
25 FORTIS mi, ergo dies ad medium meos,
Dixi, præproperè exſcindere parcito;
Annis ipſe tuis vtere, qui omnia
Vincent ſæcula ſæculis.
26 Fundamenta prius fortia ieceras
Terræ; conſtat opúsque è manibus tuis
27 Cælorum: pereant quamlibet omnia hæc,
At numen ſtabile eſt tuum.
Cuncta hæc, veſtis vti trita, vetúsque, erunt,
Et mutabis vti ſordida pallia:
28 Is tu, qui fueras, ſemper eris; neque
Annis finis erit tuis.
29 Et nati famulis poſtera gens tuis,
Vitámque incolumes pacificam colent;
Quorum compoſitum ſemen erit piè, &
Vultus ante tuos aget.

PSALMVS CIII.

Benedic anima mea Domino.

INEXHAVSTAE MISERICORDIAE CELEBRATIO.

1 Dauidis.

Carmen Dicolon Diſtrophon.

MEns IAM cane grata mea, & mea viſcera ſanctũ
Eius dicetis quoque nomen.
2 Mens IAM cane grata mea, ac ne dona canenti
Illius exciderint tibi cuncta.
3 Ille tibi ignoſcit clemens praua omnia; morbos
Ille tibi medicúſque reſoluit.
4 Ille tuam redimit vitam fouea atque ſepulchro,
Te & clemens bonitate coronat.
5 Os iſtud ſaturátque bonis, aquilæ inſtar & actam
Antè tuam nouat ille iuuentam.
6 IAS iuſtitias exercet, iudiciorum
Omnibus eſt auctor quoque preſsis.
7 Monſtrauit propriáſque vias, mirandáque Moſi
Iſraëlis natis ſua geſta.
8 Eſt clemens facilíſque IAS, eſt naribus amplis,
Et multus bonitate benigna.

9 Iurgia nec ſemper mouet is, nec ſeruat iniquam
Offenſam longum quoque in æuum.
10 Aequa is peccatis noſtris non contulit, & non
Reddidit æqua auſis quoque prauis.
11 Vt cælum à terra eſt altum, ſuperare timentes
Inque ſuos voluit bonitatem.
12 Ortus ab occaſu quàm longè diſtat, abeſſe
Noſtra facit delictaque nobis.
13 Sic pater eſt lenis natis, metuentibus vt ſe
IAS eſt lenis faciliſque.
14 Figmentum quippe is noſtrum nouit, meminitque
Puluere quo facti quoque ſimus.
15 Mortalique dies vt gramen, floſculus vt qui
Floret agris, ſic floret & ipſe.
16 Nam vento inuaſus nuſquam eſt, illumque notare
Nemo queat florémve locúmve.
17 Aſt IAE bonitas à ſæclo in ſæcla timentes
Se ſuper incumbitque manetque.
Illius & natos natorum proſpera tangit
Iuſtitia, & iuſtos facit ipſa:
18 Queis cordi eſt eius cuſtodia fœderis, & queis
Iuſſorum efficiens memor eſt vis.
19 IAS in cælis ſolium ſibi condidit, eius
Inde patens regit omnia regnum.
20 Vos IAM angelici cuncti celebrate miniſtri,
Magno queis ſtat robore virtus:
Eius qui facitis verbumque, audireque verbi
Vocem eius prompti cupidique.
21 IAM vos omnes eius celebrate phalanges,
Ad placitum celereſque miniſtri:
22 Vos IAM celebrate eius facta omnia, quidquid
Omnia, quà regnat, loca complet.
Mens IAM cane grata mea, haud celebraſſe ſit vllus,
Nec ceciniſſe modus tibi laudes.

PSALMVS CIIII.

Benedic anima mea Domino.

VERAE PHILOSOPHIAE EXPLICATIO.

Carmen Sapphicum.

1 MEns mea hîc magnum celebrabis IAM,
Mi DEVS magnus tibi valde es IAS,
Laude